



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Censuris Romano Pontifici Reservatis

Ugolinus, Bartholomaeus

Venetijs, 1609

De explicatione horum verborum Excommunicamus, & Anathematizamus,
quæ habentur in singulis capitibus secundæ partis. Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

hac igitur questione sic concludendum cenſeo, ad alia tranſeamus.

De explicatione horum verborum Excommunicamus, & Anathematizamus, quæ habentur in ſingulis capitulis ſecundæ partis. Cap. XVI.

S V M M A.

- 1 Excommunicamus, & Anathematizamus diuerſa ſunt.
- 2 Excōicamus. } quid ſignificent
Anathema } quoad Bullam hanc
tizamus. }
- 3 Minor excommunicatio quid operatur.
- 4 Maior excommunicatio quid operatur.
- 5 Anathema ſignificat quid deteſtabile.
- 6 Anathematizare ſignificat deteſtari.

Decima ſexta quæſtio eſt, an ea verba, quæ in ſingulis capitulis ſecundæ partis habentur: Excommunicamus, & Anathematizamus idem ſignificent, & inter ſe differant, duo igitur hic conſideranda ſunt. Primum, an diuerſa ſint, id eſt diuerſa ſignificent. Alterum, eſto diuerſa ſint, quid ſingula ſint, ac ſignificent.

- 1 Quoad primum igitur ꝑ dico diuerſa eſſe inter ſe, tum quòd diuerſo nomine nominantur, ergo non idem. argumen. l. ſi idem, C

de codicill. tum quòd copula. Et, quæ ponitur inter ipſa, inter diuerſa poni ſolet, vt ait Glo. communiter recept. in Rubr. ff. de iur. & fact. ignor. Poſtremo probatur id in capitul. cum non ab homine. de iudic. vbi iubetur clericum incorrigibilem prius excommunicari, deinde anathematis mucrone ferri, ergo diuerſa ſunt, at que ſic ſenſit Nauarr. in Commentario de datis, & promiſſis pro iuſtitia, vel gratia obtinenda. n. 10.

- 2 Quoad alterum ꝑ quid ſignificent DD. concludunt, vt inquit Nauarr. ibid. per verb. Excommunicamus, minorem excommunicationem ferri, per verbum Anathematizamus, maiorem excommunicationem promulgari, & hoc ob cit. c. cum non ab homine. de iudic. Horum ſententia hic nullo modo mihi quadrat, nam, ex quo eodem tempore & maior & minor excōicatio fertur, quid minor operabitur, cum per anathema & id efficiatur, quod minor excommunicatio efficit? ꝑ nā minor excommunicatio ſacramentorum communionem tantum priuat, ꝑ maior vero & ſacramentorum, & chriſtianorum communionem, vt habetur in capitul. ſin. de cler. excommunic. min. & in capitul. penult. de ſentent. excommun. Nec obſtat capitul. cum non ab homine, nam ibi diuerſo tempore minor excommunicatio fertur, & idcirco operatur, ibi enim

enim Romanus Pontif. docens quomodo agendum sit contra clericum incorrigibilem, iubet vt prius minori excommunicatione afficiatur, deinde nisi se correxerit, maiori, ac demum vt iudici Ecclesiastico tradatur, hic vero statim & excommunicatio, & anathema feruntur. Quid igitur concludendum?

Ego censeo per verbum excommunicamus, maiorem excommunicationem ferri, per verbum autem Anathematizamus, non censuram vllam, sed maledictionem, ac detestationem promulgari, & ob id perinde esse, ac si dictum esset excommunicamus, & Maledicimus, siue execramur, & Detestamur, &c. Primum probatur hinc, quia verbum excommunicare simpliciter prolatum maiorem excommunicationem significat, vt dicitur in capitul. penult. de sentent. excommunic. ergo hic maiorem excommunicationem significabit, ex quo simpliciter prolatum est, non autem minorem. † Secundum hinc, quoniam verbum Anathema significat quid detestabile, & execrabile, † & ob id verbum Anathematizare significat Detestari, & execrari, vt probatur in capitulis qui præst. 1. 1. quæstion. 3. & vt nos egimus abunde in capitul. fin. §. 1. numer. 2. Tab. 2. vbi quæ vox sit Anathema, vnde dicta, & quid significet, declarauimus, & in Tab. 1. capitul. 2. §. 10. nume. 2.

11111

& Couar. in capitul. alma. pars. 1. §. 8. num. 6. uers. Et receptum est, solemnem maledictionem, quæ fit per execrationes publicas aduersus excommunicatum, quod fit, vt anathema propriè excommunicationem maiorem præmittat. Ecce hic vir doctissimus sentit apertè id, quod diximus, verbum Anathematizare, execrationem, ac detestationem significare. Immo addit post excommunicationem sequi, quod perpetuo in hac Bulla seruatum est. Verba igitur hæc sic interpretabimur, excommunicamus scilicet maiori excommunicatione, & Anathematizamus, id est Execramur, seu detestamur, maledicimus ve. Quæ interpretatio hinc etiam plurimum comprobatur, quod grauitati delictorum, de quibus per Bullam agitur, optimè respondet, vt scilicet, qui delicta hæc commisserint, non solum extra Ecclesiam eijciantur, quod fit excommunicatione maiori, verum etiam & maledicti sint, quod non semper contingit excommunicatione. argum. capitul. a nobis. 2. de sentent. excommunicat. cum simil. ita igitur in hac re sentit, & sententiam hanc verissimam concludo. Sed de quæstione hac satis, ad postremam veniamus.

11111

De